



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Panormitano, Capvano, Regin. & Montis Regalis Archiepiscopis, & Episcopo  
Trojano.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

gamus, monemus, & per apostolica tibi  
lcripta mandamus, quatenus Cardinales  
ipos tanquam Legatos apost. sedis sus-  
cipiens humiliter & devotè, vel ad ipsos  
vocatus accedens, quæ tibi ex parte no-  
stra duxerint proponenda, humiliter au-  
diás, & efficaciter prosequaris. Ad obse-  
quium etiam nostrum & regni defensio-  
nem taliter accingaris, ut cùm manda-  
tum nostrum ad te iterum emanarit, ni-  
hil te prorsùs detineat, quin, si necesse  
fuerit, nos sequaris, vel ad resistendum  
inimicis regni & Ecclesiæ juxta disposi-  
tionem nostram procedas.

PANORMITANO, CAPVANO,  
Regin. & Montis Regalis Archiepiscopis,  
& Episcopo Trojano.

Epist. 564.  
Ejusdem agu-  
menti.

**P**RÆTER generale debitum officij pa-  
storali, per quod universis Christi  
fidelibus & singulis provinciis, in quibus  
nomen colitur Christianum, solicite co-  
gitare tenemur, illa prærogativa dilec-  
tionis & gratiæ, quam prædecessores  
nostræ circa regnum Siciliæ præteritis  
temporibus habuerunt, & fidei ac devo-  
tionis synceritas, quam idem regnum &  
Principes ejus ferè semper exhibuerunt  
apostolicæ sedi, ad providendum eidem  
regno specialiter nos inducunt: quibus  
nunc causa potior & urgenter superven-  
it, cùm inclytæ recordationis Constan-  
cia Imperatrix carissimi in Christo filij  
nostræ Friderici Siciliæ Regis illustris tu-  
telam & regni balum nobis testamento  
reliquit, & nos super utroque ab omnibus  
assecurari mandavit. Licet autem te-  
stamentum Imperatricis ejusdem nobis  
expectemus per vestros nuntios destina-  
ri, quia negotium dilationem non capit,  
cùm Marcoaldus Dei & Ecclesiæ inimi-  
cusi, persecutor regni, non dormiat, sed  
regnum perturbare immo etiam occupa-  
re cum suæ iniquitatis fautoribus molia-  
tur, dilectum filium nostrum G. sanctæ  
Mariæ in porticu Diaconum Cardina-  
lem, apostolicæ sedis Legatum, virum uti-  
que providum & discretum, verum & ve-  
terem regni Siciliæ amatorem, qui pro  
honore ipsius nullius erubuit faciem po-  
testatis, quem inter fratres nostros spe-  
ciali diligimus caritatis affectu, in Sici-  
liam duximus destinandum, vices nostras  
ei tam super hoc quam alii negotiis cō-  
mittentes. Credimus enim quod per \*dis-  
positionem & providentiam ejus in fide-  
litate Regis ipsius & devotione nostra

regnum solidabitur universum, & mali-  
gnantium perfidia confundetur. Ideoque  
fraternitatem vestram rogamus, mone-  
mus, & exhortamur attentiùs, ac per  
apostolica vobis scripta præcipiendo  
mandamus, quatenus Legatum eundem  
tanquam personam nostram recipientes  
humiliter & devotè, taliter ei super no-  
stris & ejusdem Regis negotiis assistati-  
quod in hoc manifestius appareat fides  
vestra, & ex eo tam piam Imperatricis  
dispositionem de vestro, sicut jam credi-  
mus, cognoscamus processisse consilio,  
quod eam non patiamini effectu debito  
defraudari. Nos enim nec labor personæ  
nec ulla negligentia revocabit ab illis  
quæ nos facere deceat, & tanto videan-  
tur negotio expedire. Attendentes igitur  
qualiter nobis & Regi teneamini me-  
morato, ad honorem & salutem ipsius &  
nostram utiliter & efficaciter eidem Le-  
gato curetis adesse, dispositionem & sta-  
tuta ipsius velut nostra recipientes hu-  
militer, & inviolabiliter observantes,  
cùm de sinceritate ac industria vestra in-  
dubitata fiduciam habeamus. Præca-  
vere vobis & regno ab insidiis Marc. qui  
licet aliud mentiatur, regnum tamen non  
Regi sed sibi usurpare contendit, & in  
vos & alios Teutonicorum cædes &  
suam & suorum injuriam vindicare: de  
quo non est aliquatenus diffidendum,  
cùm etsi contingat eum in regnum  
procedere, non tamen proficeret immo-  
potius deficeret labor ejus; præsertim si  
Sicilia fideliter in ejusdem Regis fidelita-  
te ac Ecclesiæ Rom. devotione persistat.  
Nos autem contra eum validum exerci-  
tum destinamus.

### ILLUSTRI REGI Siciliæ.

**Q**VOD prima primi lactis pocula  
tibi Dominus ab initio miscuit,  
quod vix bene balbutientem infantiam  
quasi continuata reddidit lamentatione  
disertam, & recenti pueritiæ non solùm  
recentem sed & repetitum amaritudinis  
calicem propinavit, tibi tanquam spe-  
ciali apostolicæ sedis filio specialiter  
condolemus, & tecum pariter & in te  
propinata tibi amaritudinis violentiam  
experimur. Recepimus enim per dilectos  
filios magistrum G. Subdiaconum no-  
strum & L. judicem nuntios tuos, viros  
peritos, providos, & discretos, tuæ ser-  
nitatis literas, doloris & gemitus expref-  
sionem.

Epist. 565.  
Consolatoria  
super morte pa-  
tris & mattis.

Sij

\*dispensatio-